~~87~~ 172

S. T. Sororii Eximie Dilectissime

Postquam literas jam obsignaveram in conventu nostro apud Prof. Groddeckium reperio Senatorem urbis nostrae Wolffium, cujus semper gratissima mihi amicitia. Is me rogabat, Tibi quoque commendem filium, quem habet unicum, quemque et D. Pauli commendavit, hunc in Regiomontana academia Kowalevii inspectioni traditum, quem nunc commemoratum esse dolet. Eum ambitione laborare non diffitetur, ingenio bono praeditum ait, ut si eo recte utatur, utilis patriae civis sit futurus. Pronum tamen esse ad obsequendum blandientibus et ad mala invitantibus, concedit: ideoque petit, ut bono consilio juvetur, argumentis a laude et vero honore petitis, quo persuaderi possit, si studiis solidis et moribus optimis operam det, et ut ipse commendetur, quibuscum tuto versari et a quibus proficere in literis et virtutibus possit, aemulaturusque laudatissimos ductus eorum. Inprimis recte monendum videtur, ne R... mores sequatur, ostendendo, quam difficile sit maculas contractas eluere, omni reprehensione vitae carere, quam proficuum sit ad omnem felicitatem vitae consequendam, illibatam conservandam conscientiam in vita et morte. Si qua in se deficere aut excedere sentiat, rogat, ut mihi id nuntietur, quo mature emendare possit emendanda, et prospicere ejus saluti. Cereus esse solet juvenilis animus, ut flecti in utramque partem possit, quare ea cura Patri [illegible] et praecipua, ut in partes optimas unicus monitis et rationibus dirigatur. Haec sunt quae ipsius rogatu scribo, quibus et ea cognita addi possunt, quanto gaudio Parenti splendidissimae familiae sit futurum, si omnes, qui ipsum norunt, optima quaeque de ipso sentire, dicere et re ipsa testari possint. Faxit Deus, ut data opportunitate, et per commilitones laudatos ad laudabilia quaeque incitari se patiatur et a contrariis revocari! Vale habitude melius et valetudinis curam diligenter, quod et mihi gratissimum fore non patieris Te ignorare eum, quo Te amplectitur amor

Ged. d. 17 Aug. 1764.

Tui amanti
M. C. H.

Hanov

172 v

A Monsieur
Monsieur Jean Daniel Titius
Professeur en Physique très
Celebre, mon très cher
Neveu à
p. faveur. Wittenberg